C TEMPERAMENTVM.

Triticum ut medicamentũ foris impositum, primi est ordinis excalefacientiũ, non tamen nec resiccare, nec humectare manifestò potest. Porrò quod ex eo conficitur amylum, eo tum frigidius est, tum siccius.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Optimum ad secundæ ualetudinis usum Triticum habetur quod recens & iam perfectè adultum, & colorem mâli refert. Crudum in cibis rotundos lumbricos gignit. Canum morsibus prodest mansum & illitũ. Confectus ex eius similagine panis, plus alit quàm cibarius, quem Græci συγκομιστὸν uocant. E Sitanij farina panis leuiorem cibum præbet, & qui facilè in membra demandetur. Farina eius cum hyoscyami succo illinitur aduersus neruorũ fluxiones. Item contra intestinorũ inflationes. Lentigines ex oxymelite tollit. Furfures autem acri in aceto elixi & calentes illiti, lepras pellunt. Incipientes etiam inflammationes omnes illiti leniunt. In Rutæ uerò decocto elixi, mammas turgentes sedant. Viperarũ ictibus auxiliantur, & torminosis prosunt. Confectũ ex farina triticea fermentum calefaciendi extrahendiq; uim habet. Priuatim quæ in plantis pedum sunt extenuat. Cętera tubercula, furunculosq; ex sale concoquit, & aperit. Sitanij farina contra uenenatos ictus cum aceto aut uino cõmodè illinitur. Eadem si decocta in glutini modum delingatur, cruenta excreantibus succurrit. Contra tussim & exasperatam arteriam, cum menta & butyro decocta efficax est. Tritici pollen si ex aqua mulsa, aut hydrelæo decoquatur, omnẽ discutit inflammationẽ. Panis & cum melicrato coctus & crudus inflãmationes omnes illitus mulcet, cum emolliat, & quadantenus refrigeret, mixtus herbis succisq; quibusdã. Vetus autem & aridus per se, adiectisq; alijs quibusdã, citam aluum cohibet. Recens muria maceratus & illitus, uetustas impetigines sanat. Glu
D tinum ex similagine & polline, quo chartæ glutinantur, sanguinem excreantibus prodest, si liquidius ac tepidum cochlearis mensura detur sorbendum.

EX GALENO.

Triticum quiddam lentoris, & obstruentis naturæ habet. Quod uerò ex pane fit cataplasma, uim obtinet magis digerentem, quàm quod ex Tritico: nimirum quum & salem & fermentum panis adiuncta habeat: quippe cum fermentum uim habeat attrahendi digerendiq; ea quæ in alto resident. Plura de Tritico petenda erunt ex capite primo, libri primi de alimentorum facultatibus, quo in loco uariæ panis species exponuntur.

EX PLINIO.

Grana Tritici ferro combusta, ijs quæ frigus usserit præsentaneo sunt remedio. Farina ex aceto cocta, neruorũ contractionibus auxiliatur: cum rosaceo uerò & fico sicca myxisq; decoctis. Item suppuratis neruis cum hyoscyami succo illinitur. Ex aceto & melle lentigini. Furfures tonsillis faucibusq; gargarizatione prosunt. Sex. Pompeius prætorij uiri pater, Hispaniæ citerioris princeps, quum horreis suis uentilandis præsideret, correptus dolore podagrę, mersit in Triticum sese super genua, leuatusq; siccatis pedibus mirabili modo, hoc postea remedio usus est. Vis tanta est, ut cados plenos siccet. Paleam quoq; tritici uel hordei calidam imponi ramicum incõmodis experti iubent, quaq; decoctæ sunt aqua foueri.

DE POTA-